

S A C R A



**GYMNASII REGII  
RASTENBURGENSIS**

**SAECULARIA TERTIA**

DD. XXVI. XXVII. MENSIS AUGUSTI A. CIOIOCCCXXXVI.

CELEBRANDA

PRAECINIT

JOANNES GUILIEMUS AENOTHEUS HEINICKE

GYMNASII RECTOR.

---

ACROPAULAE CIOIOCCCXXXVI.

*Ex officina Haberlandii.*



S A C R A

# GYMNASII REGII RASTENBURGENSIS

SAECULARIA TERTIA

DE XXII MENSIS AUGUSTI A. MDCCCXXXVII

CELEBRANDA

PRABANT

BOLESLAV GIERMANSKI, VICE-RECTOR

GYMNASII RECTOR

AGROTAE MDCCCXXXVII

Dr. J. J. Haberlandt

*Sunt saecula carmine digna.*

**I**nconstanter amant fluxa discedere vita  
Fortunae, celeri diffugiuntque pede.  
Sors sortem celerat, fortunae constrepit ala,  
Ocior et tersit quae pretiosa placent.  
Tristis tempestas proturbat flamine vernam,  
Marcescunt flores, pallida mane perit  
Fulgens quae foliis rosa vix et laeta dehiscit;  
Vespere demittunt lilia fracta caput.  
Sertaque ferventem quae cingunt laurea frontem,  
Arescunt, propere lurida sarta jacent.  
Lusca silet volucris, cecinit quae frondibus altis;  
Noctis fert umbras sole cadente dies.  
Horas depellunt horae, tacitaeque reclinant  
Cursum praecipitem nulla iterante viam.  
Non oculis semper juvenis flagraverit ardor  
Splendentis vultus, et perit ipse vigor.  
Occiduo parilis soli cito labitur aetas,  
Emittit raros vix radiosque seni.

Aedificant homines sedes et culmina tecti,  
 Ut sint perfugii tuta et amoena loca.  
 Praesidio fundant magna vi moenia saxi,  
 Auratas aedes templaque celsa locant.  
 Artifici struxere manu miracula terrae,  
 Moles et coeli sidera summa ferit.  
 Sed rapido lapsu cecidere palatia regum,  
 Concidit et vili tegmine parva casa.  
 Quanta est inventrix ars, ingeniosa magistra,  
 Corruit arte sua, mox tenuatur opus.  
 Quantae aedes, quam firma domus, quam postibus alta!  
 Nulla manet, nulli mansio certa fuit.  
 Ad vitam quae vir sollers excogitat apta,  
 Crastina luce dies irrita facta docet.  
 Certis pollicita est votis stabilem brevis hora  
 Fortunam, mendax fallit et hora brevis.  
 Mortales bellae captos dulcedine vitae  
 Conturbant subito noxia fata metu.  
 Tempora dissimulant occulte pectora ficta,  
 Perjurum est tempus, crimina fraudis habet.  
 Humanas res, perpetuas quas suggerit aetas,  
 Vita fugax ludit, decipit alba dies.  
 Annorum series seriem parit, altera praepes  
 Vestigi passus cunctaque signa terit.

Atque super vitam nocturnas saecula longa  
 Inducunt umbras, tempora nube tegunt.  
 Praesens quae terris lustrat sol lucida fulgent,  
 Umbrae majores sole ruente cadunt.  
 Innumeros tacite soles tria saecula celant,  
 Longior umbra cadit, tempora tecta jacent.  
 Quae cooperta cubant priscae velamine terrae,  
 Mortali vitae debita magna luunt;  
 Quae terrena abeunt iter irremeabile servant,  
 Haud vicibus factis umbra ea noxque premit.  
 Invida custodit tenebris longaeva vetustas  
 Temporis exuvias, fana reclusa negat.  
 Quotquot gurgite sunt summersa coerces, hiansque  
 Oribus immensis sorbuit omne caput.  
 Progeniem generum longo fert ordine raptam,  
 Non parcit leto nobile ferre genus;  
 Despectum nil, vile nihil; sed tollit inermes;  
 Sustinet et fortis vim patiensque feram.  
 Praedam bellatrix miseram fortuna reportat  
 Saeclis, immiti victima quaeque cadit.  
 Non est quo quidquam deflectat clade rapinae,  
 Nil sese in tutum pertulit arte potens.  
 E tutante sinu vitae gremioque paventes  
 Abstrahit extemplo nos violenta manus.

Attenuantur avi proavique illustria facta,  
 Praesentisque perit gloria celsa viri.  
 Late saecula mora sine devolvuntur in orbem,  
 Nil reserant vivis, cuncta sepulta tenent.  
 Immensumque patent aetatum muta sepulcra,  
 Millibus exstructis millia structa manent.  
 Gaudia mille tegunt desideriique dolores,  
 Spem vitae dulcem vitae et acerba tegunt,  
 Et lacrimae fletum vigiles curaeque timores,  
 Mille et delicias muta sepulcra tegunt.  
 Saecula voce carent, noctisque silentia praestant;  
 Humanas mentes sed taciturna movent.  
 Manes saeculorum tellurem invisere tentant;  
 Umbris velati nunc properante pede  
 Trans terram gradiuntur; iter stridentibus alis  
 Aetheris in campis oscinis instar agunt;  
 Nunc gressus tendunt permagnos aere sonantes,  
 Concutiunt orbem; verbere terra tremit;  
 Atque cohorrescunt hominum intus pectora pressa,  
 Diras res metuunt, clam graviora timent,  
 Manibus intrepididis vigilant insomnia semper  
 Lumina; quidquid erit, lucida cuncta vident.  
 Auguria et magnis de rebus certa remittunt  
 Fati venturi, et tempora aperta monent.

Saeculorum manes digito praesentia suadent,  
 Sublata sortem significantque manu.  
 Sunt animi, quibus est mire cum manibus altus  
 Consensus, saeculi quem meminisse juvat;  
 Pectore ab imo sentitur cognatio, mollis  
 Conventus spirat, vis et amica valet.  
 Quos animos reperint agitantés intima vitae,  
 Causas naturae et clara sigilla docent.  
 Non est, ut multi conspirent manibus altis;  
 Nec concors animus nec sibi conscius est.  
 At sunt, commoniti qui molles auribus condant  
 Quae placide manes carmine mira canunt;  
 Et teretes aures cupiunt audire susurrum,  
 Undae quem similem spectra beata cient.  
 Est ubi lynceis oculis fatalia cernant  
 Quos afflant manes; et rediviva vigent  
 Saecula, jam dudum demersa, in mente sagaci;  
 Non pallentia sunt haec simulacra viris,  
 Nec pridem defuncta manent neque inania somni,  
 Sed species verae, certa et imago viret.  
 Vox arcana sonat, signis abscondita lingua  
 Clandestina docet, colloquiturque viris.  
 O ter felices, qui, quorsum magna reclusa  
 Sanis sint, norint, voce vocante sonos!

Vera etenim rerum develant ora severi,  
 Et nil fucatum dissimulanter abit:  
 Torpida quae terris haerent, et bruta per orbem  
 Repunt, mentem et humi vivam animamque trahunt;  
 Illecebris capti vanis, quae turpiter actos  
 Commaculant; qui non ambitione carent  
 Infames, miseris qui sese sordibus foedant  
 Vilibus inflati rebus et arte mala.  
 Denudant manes simulata et perfida fraudis;  
 Quae nativa fuit forma genusque patent.  
 Qui clamore fremunt rabido et discorde tumultu  
 Rixantur, quoquo futilitasque trahat;  
 Leges sancitas qui rumpunt juraque migrant,  
 Quos juvat impunes edere turpe scelus;  
 Atque fidem qui principibus fallunt male grati  
 Vera et depravant, insidiosa struunt:  
 Hos manes urgunt contracta fronte secuti  
 Vindictae docti vincula ferre reis.  
 At blandi aspectant quos ornat candida virtus,  
 Diffusa a facie lumina pura fluunt  
 Laetitiae, vultus celsi splendore coruscant,  
 Ut coelo puro sidera clara nitent.  
 Manibus est dulcis conspectus, dulcior omni,  
 Dura luctantes cernere strage bonos.



Vires inspirant, ut fortes strage resurgant,  
 Candidior virtus splendeat alta virum.  
 Inflammant animos, audaces nobile factum  
 Moliri, et firmos munere stare jubent.  
 Laeta viris constat lex imperiosa severis:  
 Temporis ut memores mobilis esse velint,  
 Momentis pretio dignis utantur, et horam  
 Carpant assidui, qua sapienter agant;  
 In se descendant, sese in vitaeque profunda  
 Immergant animis, lege potente rogant.  
 Praeteriti expressam manes servant bene saeculi  
 Effigiem, sanis hanc speculi instar habent.  
 Nam magices speculum proponunt saecula longa,  
 Ora ut cognoscant tempora quaeque sua;  
 Ac mirabiliter divinam dextera gestat  
 Virgam, qua tangunt, qui vel inane stupent;  
 Qua miseros mulcent aerumnis duriter actos,  
 Molliter et tactos virga repente levat.  
 Manes consilium manifestant vimque caducae  
 Vitae, cur nobis halet et aura levis,  
 Cur proficiscamur miseri per compita vitae  
 Mortales, trepidet cur brevis acta dies.  
 Cuncti, manes haec tradunt, ordimur in orbe  
 Grande opus, et coelo grande superstes erit.

Divinae nam participes aurae mare coeli  
 Aeternum aspicient; litora nulla mari;  
 Oceanum velox immensum navigat olim  
 Libera vis animi, velaque tendit agens.  
 Quod sentis, quod percipias animo, tibi restat  
 Aeternum, in terris hoc fuit hoc opus est.  
 Fulgida non species nec terris res bene gestae  
 Nec facinus clarum gloria vera manent:  
 Divinum factum, quod duret longius aevo,  
 In temet positum est, intima resque viget.  
 Sive loco obscuro natus vitam colis arctam,  
 Afflictus damnis tristis agisque dies,  
 Seu laute vivis, generosa stirpe potenter  
 Jactans te genitum gaudia blanda bibis:  
 Ut vestem pretiosam humeris ludibria vitae  
 Deripit aetatis certa suprema dies.  
 Vestem discidunt pictam, mendacia tollunt  
 Manes indomiti; fraus speciosa perit;  
 Deposita est miseris nunc ingens sarcina vitae,  
 Et, quae angunt miseros, flamine sparsa volant.  
 At vires animi, firmati casibus aevi  
 Tristibus aut laetis, ardua rura petunt.  
 Nec summo perit terris jam spicea messis:  
 Falce secant homines, quae sator arva colis.

Quae bona se visti non cedunt orbe repulsa,  
 Largi sunt fructus, quos bene facta ferunt.  
 Sed peregrinanti bona, quae sentis et amasti,  
 Haec animo liquit sola ruina tuo;  
 Et vivent iterumque reviviscent in amore,  
 Qui stabilis cordi quique perennis erit.  
 Haec manes cantant, resonant et saecula longa;  
 Auribus infundunt murmura crebra soni.  
 Lucus uti longe tenebrosus murmura miscet  
 Arboribus densus, fronde per ampla strepens;  
 Perflant flabra comas rami tremulas, per opaca  
 Spiritus it silvae, nutat et alta coma;  
 A tergo sonitus rauci increpuere per auras,  
 Pone viatores nubila verba sonant;  
 Voxque fremens et ferrea nunc emittitur altis  
 Ex umbris nemorum, territa corda tremunt;  
 Vocibus et querulis nunc lucus concinit auri  
 Et presso sonitu flebilibusque modis;  
 Moeror et infandus surrepit pectora cara,  
 Lugubri et cantu tristia corda dolent;  
 Murmura quae penetrant per pectus mira, videntur  
 Sermonis clausi fundere verba viris:  
 Saecula sic retro revoluta ad terga dierum  
 Annis densa jacent, murmura lata strepunt;

Saecula sic tremula e longinquo voce susurrant;  
 Et vitae gnarus sensa movere potest;  
 Namque animi motus agitant quae tempora cantant,  
 Mentis consilia et saecula longa cient.  
 Turpi qui terris horrent torpedine mentis,  
 His arcana silent; his manifesta latent.  
 Ast animi cui sunt vigiles oculi et patet auris,  
 Mensque vigil constat, murmura clara capit;  
 Explicat et varias voces interritus aevi  
 Tempore se celeri proripiente fugae.  
 Magni amnes rapido cursu volvuntur ad altum;  
 Ad mare tranquillum saecula magna fluunt.  
 Praeteritis honor est, sunt saecula carmine digna,  
 Quamvis ipsa canant, vatis et ore canant.  
 Saecli abiere dies, nos digressique salutant,  
 Aversus vultus signa et amoris habet.  
 Praestitimus vobis, ajunt, quod praebet amoris  
 Lex divina boni nec nisi quanta juvant.  
 Humano generi fors consuluit, mala vitae  
 Non temere et coeco lumine fata tulit.  
 Nec frustra placidis oculis arrisimus umquam,  
 Numinis auspiciis fortiter aucta salus.

Munera defluxere et praemia magna futuris  
 Temporibus, sanis accidat hisce frui.  
 Humanis modus est rebus ratioque, superbos  
 Vindex poena petit, fata secuta premunt.  
 Nam pietas et summa dei reverentia gentes  
 Fortunant, magnas res populique gerunt.  
 In tenebris lucet virtus, stridente quieta  
 Tempestate manet robore pulsa loco;  
 Et patriae laribus sanctis immota cohaeret,  
 Principis et vita vivere se ipsa putat.  
 Carae ductores patriae donavimus altos,  
 Quos animus gratus, pectora fida colunt.  
 Et qui nunc patriae clarus dominatur in arvis,  
 Hunc dedimus columen; magna creare sapit.  
 Vivax vitae flos vireat! nunc vita coronat  
 Vivum; vocali carmine nullus eget.  
 Voce dies abeuntes sic fantur; mora nulla  
 Fluxis est aevi praepete lege data.  
 Saeculum prosequimur caris abeuntem ut amicum  
 Votis, supremum dicimus hocce vale,  
 Saeculum prosequimur discedens omine fausto,  
 Dicimus et longum nos iterumque vale.

**A L B E R T U S**  
**PRUSSIAE DUX**

**SCHOLAE RASTENBURGENSIS AUCTOR.**

*Pietas*

*Nulla peritura moesti*

*Funeris hora.*

**P**incipem claro genitum parente,  
 Alta spirantem validumque fama,  
 Ingeni certum juvenem salutat

**Baltica tellus:**

**S**pes ades, longa superante dulcem

**P**atriam rixa populique turbas:

**P**russiae Albertus petis altor et dux

**Fortiter oras.**

**T**u paras sollers patriae aestuosae

**T**urbidos fluctus, maris ut tumentis

**A**equora ac ventos tenebris reclusis,

**Sternere pronos.**

**O**rdinis prisci cecidit catervae

**G**loria et nomen, reticentque laudes;

**R**estitutor Tu generosus adsis

**Agmina ducens**

Desueta actis Equitum triumphis,  
 Jamque virtutis patriique nervi  
 Tristis et raptim properantis olim  
 Nescia fati.

Intuentur Te radians ut astrum  
 In vias vastas oriens, reductor  
 Deviis ut sis, redeunte avita  
 Mente animoque.

Degener liquit pia legis arma,  
 Protenus non fert Eques et tepentem  
 Amplius sudorem et acerba proeli,  
 Callidus artis,

Qua fidem spernat sociam Magistro  
 Ordinis, legumque adimat sacrata  
 Vincla, quae, si quid volupe est, coercent  
 Frena malorum.

Hostium vultus trucis ac periclitata  
 Negligens fausti celeras duellis  
 Spem, renascentis cupidus salutis  
 Intrepidusque.

Mox novam rerum patriaeque sortem  
 Cogitas; sortis violenta jecit  
 Aleam et rexit Tua dextra fidens  
 Numine magno.

Saxonum terris oriente stella  
 Sideris coelo radios receptos  
 Prussiae in campos patulos reportas  
 Nubila motans.

Caeca vanescunt, et opinionum  
 Fraus et argutae pia causa mentis  
 Vincitur pallens, tenebraeque cedunt  
 Luce repulsae.

Igne scintillae volitant potenti,  
 Cordaque inflammant ubicumque sparsae;  
 Luminis spirant nitidi fidelem  
 Pectora amorem.

Literarum et luce animi calescunt;  
 Splendida lustrant face veritatis  
 Resque divinas hominumque munus  
 Mente sagaci.

Artibus sic Tu reseras palaestram,  
 Qua salutari juvenis labore  
 Excitus divi sociam ignis altam  
 Erigat ultro

Partem, et eductos studiis severis  
 Optimo constet sibi praemiique  
 Conscius veri, et generosa captet  
 Pignora vitae.



Hujus olim quae fuit urbis alta  
 Turris, et fessis Equitum manipulis  
 Tuta castrorum mora pacis aequae  
 Nuncia gratae,

Huncce portum Tu repetis quietum  
 Laetus arborum viridum, profundique  
 Laetus et saltus nemorisque densi  
 Irriguique.

Bis Tibi muros ineunti equestres  
 Arcis excelsae placuere sedes;  
 Urbibus comis populique tutor  
 Mitia sentis.

Laetus et curae vigilantis usque  
 Civium pro re, melioris aevi  
 Accolas arcis dociles et aptos  
 Reddis ad artes;

Atque Musarum sacra templa condis;  
 Hujus et priscae memor urbis auctor  
 Artibus tradis studiisque partas  
 Largiter aedes.

Jamque ter centum fugientis aevi  
 Mobiles annos variante casu  
 Ludus adspexit, bona literarum  
 Munera praebens:

Mentibus vires alacris iuventae  
 Molliter stillat, stimulatque robur,  
 Sensibus legem, tenerum decorem  
 Praecipit acri.

Principem sancte pietas benignum  
 Carminum cantu recolit, futuris  
 Saeculis nulla peritura moesti  
 Funeris hora.

Bis Tibi muros inveniunt pedestres  
 Arcis excelsae placere sedes;  
 Urbibus comis populique tutor  
 Militis sentis.

Lacris et curae vigilantis usque  
 Civium pro te, melioris aevi  
 Accolas arcis doctiles et aptos  
 Reddis ad artes;

Atque Musarum sacra templa conditis;  
 Huius et priscae memor in his auctor  
 Artibus tradis studisque parvas  
 Largiter sedes.

Jamque ter centum ingentis aevi  
 Mobiles annos variis casu  
 Indus absperxit, bona litterarum  
 Munera praebens;

# FREDERICUS GUILIELMUS TERTIUS

## R E X

### GYMNASII CONDITOR.

*Quam nunc virentem ponimus in sacris  
Aris, corona debita solvimus.*

Fida tenemus mente reconditam,  
Quae cara nosmet spectat, imaginem;  
Nec mansit umbris, usque vivens  
Spirat adhuc animatque pectus.

Cui lucet almo lumine sanctitas,  
Candore castus qui sine subdolo  
Mendacio jus atque recti  
Servat honorem et aperta legis;

Qui diva adorat innumina providae  
Mentis, fidele et consilium deo  
Implorat aeterni subactore  
Arbitrii male sani amore;

Insontibus qui lenis adesse avet  
Amissa large restituens bonis,  
Clemens et orari paventi  
Mitis et ad meliora versis;

Quisquis spei non cedit iners levi,  
 Constanter acrem qui posuit metum

Virtute confisus, venustas

Blanditias superansque vitae:

Hic regius vir fulget, ut editam

Virtutis oram monstret in asperis

Vitae procellis, neve fracta

Nave labent animi viriles.

Tutela rerum nobilium sibi

Laete tropaeum constituit: bonis

Partam salutem civibusque

Integra et intemerata vitae.

Rursum perenni fert fidei sacra,

Certaeque struxit templa latentia

Ex intima cordis calentis

Sede, animis pia sempiternum.

Fidaque eadem mente animique vi

Transfundit ultro quilibet in virum

Certans amorem et caritatem,

Praemia non peritura nactum.

Qui regius vir? quis penitus virum

Terrae requirat? vidimus obvium

Urbane et aridentis oratione

Seria et insita fronti honestae;

Regemque magnum vidimus, urbiumque  
 Quem fama laudat, quem cecinit patens  
 Terrae orbis, illustrique honore  
 Gloria concelebrat superstes,

Regem, superbi non solii modo  
 Auro celebrem, quem penes omnium  
 Legum potestas, sed suimet  
 Imperio sapiente graudem.

Aevi periculis vidimus obrutum  
 Saevis, eundem magnanimum malis  
 Cervice recta prominentem  
 Horrisoni ut maris alta saxa.

Quantum aestuosae personuit fragor  
 Undae, minaces et rabiem ferunt  
 Venti, solutos intuetur  
 Intrepidis oculis tumultus,

Regisque virtus, fluctibus obstrepens,  
 Nutu superno concita viribus  
 Consurgit ingens, impotens et  
 Unda silet strepitusque dirus.

Victrice tutam restituit manu  
 Rem civium Rex, jam titubantia  
 Firmavit, evincens potenter  
 Inveterata et inausa fundans.

Mox excitatis erigit ingeni  
 Robur paternum gentibus evocans  
 Mentis severas, optimisque  
 Consociat studiis favorem.

Musae labori nobilis atriæ  
 Mores reformans ingenuo struit,  
 Portasque pandit literarum,  
 Ut penetralia sancta cernant.

Illustre nomen nec statuæ aeneæ  
 Nec regis arces signaque marmoris  
 Majore ritu consecrabunt  
 Posteritatis ad ampla famæ:

Sed cara nobis effigies bene  
 Composta gratis pectoribus nitet  
 Splendore puro, nec stupenda  
 Signa perennius emicabunt.

Quam nunc virentem ponimus in sacris  
 Aris, corona debita solvimus  
 Jam Frederici Guilielmi  
 Et memores animi paterni.



Non ventralibus hic laboribus...  
 Robor pariter...  
 Mentes acutas...  
 Composita...  
 Mater labori...  
 Mores...  
 Et...  
 Ut...  
 Hic...  
 Non...  
 Majus...  
 Et...  
 Sed...  
 Composita...  
 Splendens...  
 Magna...  
 Quam...  
 Atque...  
 Jam...  
 Et...